

scriptorum, clarissimi on u o theologi Ioannis Grynaei

Autor(en): **Grynaeus, Johann**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad iuvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1746)**

Heft 1

PDF erstellt am: **16.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394573>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

ΛΕΙΨΑΝΑ SCRIPTORUM,

Clarissimi τοῦ νῦν ἐν ἀγίοις Theologi

JOANNIS GRYNÆI.

Hactenus fere inedita.

Animadversiones nonnullæ

Ad * REIMANNUM

DE

ATHEISMO MOHAMMEDANORUM.

DE Abu Moslemo pag. 531. De hujus rebus gestis, et virtutibus vitiisque multa narrant Scriptores Arabes, at de sententiis Religionis perpauca. Ex sectatoribus Ali fuisse Elmacinus et alii tradunt; Spinofistam fuisse ex confusa Historia *della Valle* male colligitur: *Sectam successionis descendens* professum scribit Elmacinus, si Erpenii Versionem obscuram et incertam sequamur; Bospier vertit *successionem*

G 4

Re-

* Cum ante plures annos Disquisitiones meas de Viris Eruditis, Atheismi suspectis, prelo tradere animus esset, rogaveram Cl. Virum ut sua de Atheismo Mohammedanorum cogitata mecum communicaret; desiderio meo satisfecit transmittendo has stricturas in Cl. REIMANNI Historiam de Atheismo Mohammedanorum. Cum vero incertum valde sit, utrum Disquisitiones meæ aliquando lucem visuræ sint, hoc loco τὰ μακροτέρῃ, λειψάνῃ extare volui. J. Z.,

Resolutionis, & ad resolutionem hominis in quatuor elementa refert, ut inde Spinofismum inferat; Verum אלתגאסה אלהלוליה, quibus vocibus Elmacinus in exponenda sententia Abi Moslemi utitur, apud Auctores Arabas aliud est. אלתגאסה est μετεμψύχωσις Pythagorica, quod ut ex infinitis aliis locis, ita ex Abul Pharagii Hist. Dynast. pag. 146. evidenter patet: Impostor Almokanneus, qui sub AlMohdio prodiit, adstruxit Metempsychosin, eumque multi secuti sunt; In Arabico id ita exprimitur, ודאל בתגאסה אלהלוליה & affirmavit Successionem vel translationem Spirituum; Quod resolutionem corporum in sua elementa significare nequit; Inprimis cum mox addat Abul Pharagius, Impostorem illum affectis suis promississe transmigraturum Spiritum suum post obitum in formam Viri Cani, jumento fusco vecti, seque ad ipsos reversurum &c. Idem summus fuerat amicus AbiMoslemi, eique à Secretis, dictus alias Hakem Ebn Haschem. Alii Auctores Mohammedani, ut Condemir, doctrinam hujus Mokannei paulo distinctius ita exponunt; Ex quo tempore iussit Deus Angelos adorare Adamum, Deus assumpsit figuram Adami, et hoc defuncto multorum Prophetarum & Principum, donec tandem ingressus est in AbuMoslemum, & hoc ab AlManfore interfecto in Mokanneum. Altera vox Alcholul vel Alcholulia אלהלול à verbo חלל significante descendit, commoratus est &c. derivata Auctore AlScharestanio, notat Deum in omni esse loco, loqui omni lingua, & apparere in persona humana: Nempe credidit AbuMoslem, Ali & Successores ejus aut saltem alios Prophetas ita præstantis esse naturæ, ut Deus in ipsorum forma apparuerit, eorum

eorum lingua locutus fuerit &c. Prout multi Al-Schiorum in immensum τξ Ali perfectiones extulere, illasque tantum non Divinis æquarunt, imo eo progressi fuere, ut Dei nomen Ei imponerent. Huic Doctrinæ de *Cholulia*, per quam sibi persuasit, Deum hujus et illius hominis et tandem forte sui ipsius figuram assumisse, adjunxit doctrinam de *Tanasuchia* sive transmigracione animarum in hoc vel illud corpus. Ex doctrina vero ista Μετεμψυχώσεως patet, quomodo statuere potuerit, hunc vel illum quamvis mortuum adhuc vivere, & intelligitur, quomodo affectu Abu-Moslemi jam interfecti pro certo tenuerint, eum adhuc vivere, quod ex Auctore Arabe docet Cl. Hottingerus *Histor. Orient. pag. 584.* Ex eodem Arabe *ibid.* etiam liquet, persuasum his fuisse, AbuMoslemum a Zoroastre vivo adhuc missum esse Prophetam ad Chorasanos: Ita Sectæ Zoroastricæ, a qua multa accepisse videtur Pythagoras, etiam addictus erat AbuMoslem; quod ex ElMacino etiam probari posset, si versione Erpenii (*dicitur etiam Magiæ notitiam habuisse*) stare possemus; Verum cum Vox Arabica *אלחפר*, quæ in ElMacino occurrit, sit hic vox nihili, & omnino ex meliore Msc. emendanda, nihil hinc certi colligi debet. Fortassis ita aut ElMacinus aut Librarius Arabice scribere & exprimere voluit, notissimam vocem Persicam *כבר* aut *כברי* Guebr aut Guebri, quorum illud Persam pyrolatram, hoc Magismum Persicum significat, ut adeo *אלחפר* *על* sit Scientia Magismi Persici, cujus aliquam habuerit notitiam AbuMoslemus; Cave autem per Magismum hunc intelligas scientiam illicitarum artium, & Cacodæmonum fami-

liaritatem , a qua plane abhorruit Zoroaster ille. AbuMoslemum Sectæ Zoroastricæ hominibus perquam familiarem fuisse patet ex Schahrestanio apud Hyde de Relig. Persar. pag. 300. Sed et aliunde, si opus esset, probare possem, a Doctrina Zoroastris non abhorruisse AbuMoslemum.

II.

De Zindikæis. Appellati hi sunt vel a Celebrerrimo illo apud Persas Guebræos libro *Zend*, in quo fundamenta Magismi Zoroastrici continentur, vel, quod probabilius, ab Hebræo צדוקי *Sadduceus*. Apud Mohammedanos notat hoc nomen vel in genere Impium, Prophanum, nec Christianæ, nec Judaicæ, nec Mohammedanæ Religioni addictum, unde apud ElMacinum pag. 84. conjungitur cum כפר *impietate*. Walid Filius Jasid interfectus est באלכפר ואלזנדקה *propter impietatem & Zindikæismum*. Ita ab AbulPharagio pag. 149. Zindikæi vocantur Religionis prophani contemtores, qui cum homines Meccana sacra obeuntes et *Attawaf*, circuitum circa templum Meccanum pro more peragentes viderent, illos ridentes dicerent: Quam similes sunt bobus in area tritulantibus. Et quia præcipua basis Religionis est Resurrectio mortuorum, hanc abnegantem vocant Zindikæum; Ita certe vox זנדק in Dictionario Arabico Turcico vertitur per קיאמת מנכיר *Abnegatorem resurrectionis*; Dein in specie significat μεταμψυχώσεως, quam illi Tanafuchia תנאסחיה appellant, propugnatorem; quo sensu Ebn Schuhna apud Herbelot. AbuMoslemum ad sectam *Zenadeka* refert; nempe credidisse isti, ad exemplum AbiMoslemi, Animam Ali in Chalifam ingressam esse, et propterea singula-

rem

rem ei deberi cultum. In eadem sententia fuere Ravandii eo tempore clari, ab Al Mansuro propterea interfecti.

III.

De Secta Loquentium pag. 532. Hebraice dicti המדגרים Arabice *Almotacallemun*, erant Philosophi Theologi, qui ex principiis Philosophicis ea selegere, quæ ad fidem Religionemque stabiliendam inprimis ipsis conducere videbantur; hinc ipsorum Scientia *Elmo Calami*, *Scientia verborum* appellata; de cujus appellationis ratione ut et origine Sectæ vide Pocock. in Specimine Arab. pag. 195. Insignis ipsis fit injuria, si a nonnullis in Atheorum classem referantur, cum universa ipsorum disciplina ex professo eo sit comparata, ut Religionem rationibus Philosophicis suffulciant, nonnisi illa a Philosophis; mutuo sumentes principia, quæ quammaxime Fidei favere illis videbantur, respuentes econtra illa, quæ vel per centesimam consequentiam eidem adversabantur; Prolixe eorundem huc facientia Principia in suo *Mores* exponit Majemonides, tametsi illis nequaquam favens, quia Aristotelica ejus Principia deseruere, & Democriti aliorumque de Atomis Principia, sed cum Providentia Numinis conjuncta amplexi fuerant: Eorundem Dogmata tradit & R. Juda Levita in *Cosri* pag. 359. & seqq. Si qua in re peccarunt, non in eo id factum est, quod ad Atheismum propenderent, sed quod nimio studio Religionem quibuscunque modis confirmandi ducti, ea adoptarunt Principia, quæ non omnibus certa et explorata habebantur. Si Majemonidæ aliisque Philo-

sophiæ

sophiæ Peripateticæ addictis periculosa nonnulla isti docuisse videntur, quasi talionis lege Philosophi Arabes AlFarabius, Avicenna &c. propter nimium erga Aristotelem studium a nonnullis *Loquentibus* Atheismi suspecti habentur, imo aperte Impietatis accusantur.

IV.

De Dararæo pag. 534. Quæ hic de Dararæo et Alhadio ex Herbelotio refert Cl. Reimannus ex ElMacini Historia p. 264. 265. petita sunt. Tacet autem de his AbulPharagius et alii Historici Arabes. Addendus tamen est locus persimilis pag. 260. ubi cum de eodem Hakemo et flagitio in Urbem Mitsra ab eo commissio, & quomodo cives tædio hujus crudelitatis vellent urbem relinquere, retulisset, adjicit ElMacinus; *Stulti tamen quidam ei Deitatem adscribebant, & quotiescunque videbant Eum, clamabant* *י אלהנא יא מחיי יא ממי* *O Deus noster, O vivificator, o mori faciens.* Num Darari, qui erat *גמי* *Persa* (ita enim proprie vox illa, non in genere Barbarum, ut habet Erpenius, significat,) ex Persica superstitione, num ex mera adulatione erga hominem turpissimum Hakemum ad blasphemiam hanc eructandam permotus fuerit, in medio relinquo. Certum vero est, quam plurimos *Tanasuchia* propugnatores aut Ali Sectatores ad blasphemias ejusmodi evomendas sententiæ suæ amore adductos fuisse. Possent nonnulla in Versione Latina Hottingeri aut Erpenii emendari, sed quia ad præsens negotium parum conferret, omitto.

V.

De Deheritis pag. 535. Vox hic *Beheritarum* nihili est. *Deheritæ* aut potius *Dahritæ* דהרין dicuntur a דהר *Mundus*; Mundi æternitatem affirmabant, nullo Creatore, nullo Curatore. Quæ hic ex Herbelotio tradit Reimannus ita sunt confusa, ut intelligi nequeant; Mentem Herbelotii plane non cepit, qui nunquam dixit, e duabus Sectis Dahritarum et Thabajun tertiam natam esse Mundanistarum et Naturalistarum quæ etc. cum Dahritæ sint ipsi Mundanistæ et Thabajun ipsi Naturalistæ. Univerſa res ita sese habet. Faciunt Arabes tres Sectas Veterum Philosophorum, qui in principia rerum inquisiverunt (dico veterum Philosophorum, nec enim hæc est divisio Sectarum Mohammedicarum, ut per errorem nonnulli putant, sed est divisio Sectarum Veterum Philosophorum ab Arabibus facta;) אלהיון Elahiuſ, *Divinorum*; דהרין Dahriuſ, *Mundanistarum*; & טבעיון Thabajun, *Naturalistarum*; Mundanistæ Deum plane amovent, & mundum æternum statuunt; Naturalistæ in rerum natura contemplanda occupati, Deum non modo agnoscunt, sed et ejus sapientiam, bonitatem &c. in Natura apparentem deprædicant; negant autem animæ immortalitatem. Divini utrumque admittunt. Vide clare hæc exponentem Abul Phargium pag. 60. Edit. Latinæ. Hanc eandem Philosophorum divisionem tradit Arabs Gasalius in libro *AlMonked* & eodem modo explicat, vid. Raymundi Pugion. Fid. Part. I. cap. I. toto, ut non amplius discrimen inter Thabajun et Dahritas sit quærendum, neque dicendum, tertiam Sectam, quæ est Elahiuſ, *Divinorum*, esse Mundanistarum

et

et Naturalistarum. Ad classem vero Divinorum, quatenus opponuntur reliquis, referunt Arabes Socratem, Platonem &c. et Aristotelem; Inter Arabas vero postremum hunc fideliter secutos Al Farabium, Avicennam etc. Quamvis vero Peripateticæ Philosophiæ infensi Arabes, inprimis *Loquentes* Philosophi, et hos Impietatis accusent, non id ideo fit, quod Fidem Existentiæ et Providentiæ Numinis illis detrahant (quam diserte illis tribuunt); sed quod existimant, alia illos nimio Aristotelis studio abreptos docuisse impia, ut Mundum esse æternum, Providentiam circa Universalia duntaxat versari &c. qua in re tamen illis fieri injuriam et mentem perverti, queritur Averroes.

De Peripateticis istis Arabibus, Farabio, Avicenna, Averroë multa hic observari possent, sed quia hi Auctores sunt satis cogniti, ea omitto, et illud duntaxat observo, ipsum illum his tam infensum Algasalium ab Atheismi suspitione non fuisse exemptum. Celebris hic Mohammedicus Doctor tanta apud suos valuit gloria & auctoritate, ut זין אלדין Seinoddin, *Decus Religionis*, חגגתול עסלם Chaggatol Eslam, *Demonstratio Mohammedisimi*, אמא אלעם Emam Alam, *Doctor Mundi*, aliisque magnificis cognominibus vocaretur, et tum ob alia præclara scripta, ut est Liber dictus AlMonked men addalalat, *Liberans ab Errore*, Raimundo sæpius citatus, tum præcipue ob Librum contra Philosophos editum nomine תהאפוט אלפלאספה Tahaphotol Philasepha, *Destructio Philosophiæ*, mirifice celebraretur; Hic Tusi natus Anno Hegiræ 450. Christi 1058. & dena-

denatus 505. Christi 4½ qui tam gravem dicam impietatis Alfarabio, Avicennæ &c. scripsit, ab Atheismi aut Pyrrhonismi suspicione sese non potuit liberare; Ita enim de eo Philosophus valde ingeniosus Ebn Tophail in Epistola de Hai Ebn Jodan pag. 29. Edition. Latin. Pocokii εντῶς scribit: *Quod ad Libros Alscheich Abu Hamed Algasali, ipse in quantum vulgus allocutus est, alibi ligat, alibi solvit (i. e. idem modo affirmat, modo negat) aliquaque infidelitatis (כפירה vel hæreseos) arguit, deinde eadem profitetur; In eorum numero, ob quæ infidelitatis accusat Philosophos in libro Altaphot, est illud, quod negent Resurrectionem Corporum, & quod affirmant, præmium & poenam ad animas tantum pertinere; In alio libro AlMisan, hanc dixit esse sententiam Doctorum Suphiorum (genus est Enthusiasticum,) rursus in alio Libro dicit, suam ipsius sententiam esse eandem cum opinione Suphiorum, seque eo perductum post longam disquisitionem &c. Vide ibi de eodem plura, sed & quæ antea de AlFarabio quem Abu Nasrum, & Avicenna, quem Abu Ali vocat, aliisque Philosophis refert, ad cognitionem sententiæ ipsorum non nihil conferunt.*

De Averroë pag. 536. Notior est hujus Historia, quam ut multis de Eo agatur; Sed & ex Latinis Scriptorum ejus editis Versionibus (nec enim quicquam Arabice quantum sciam typis excusum est) de ejus opinionibus judicium ferri potest. Tangendus hic tantum ridiculus error Cl. Reimanni, hunc cum Aven Pace confundentis: *Averroës, ait, aut potius Ebn Bagia; hoc enim verum Ejus nomen esse docuit Herbelotius. Nec hoc docuit Herbelotius, nec verum est: Quomodo ex Ebn Sina*

Sina factum sit nomen Avicennæ; ex Ebn Roschd nomen Averrois, & ex Ebn Bagia nomen Aven Pace, recte docet Herbelotius. Discipulus erat Averrois $\tau\tilde{\epsilon}$ Ebn Bagia aut Aven Pacis. Quem עבן *Ebn* vocarunt Arabes, hunc Aben vel Aven pronunciarunt Judæi: Unde ex *Ebn Sina* factum *Aben Sina* vel *Avicenna*; ex *Ebn Rosch*, *Aven Roschd* & contractius *Averroës*, ex *Ebn Bagia*, *Aben Baga* & corruptius *Aven Pace*.

Fuit autem hic Aven Pace summus post Al-Farabium Philophus, Commentator insignis Aristotelis, denatus Anno Hegiræ 525. vel ut alii 533. sæpius Thomæ & Scholasticis citatus. Alias vocatur Ebno Sajeg ut & AbuBecr, quo nomine in Historia Ebn Jodan venit, qui de Eo & Scriptis ejus egit. Hactenus Cl. Grynæus. *Quædam hisce addita erant, quæ tamen jam quidem in Scriniis meis reperire non potui.*



II.

V. Cl. JO. GRYNÆI

Ad ZIMMERMANNUM Suum

Disquisitio * epistolica,

An Mahomed Impostor fuerit, an Fanaticus?

QUOD primo loco quæris Vir. Celeb. *An ex vita Mahomedis satis perspicue pateat, Eum potius versutum Impostorem & gloriæ cupidum fuisse, quam vero Fanaticum, ejusmodi est, ut prius sine ulla hæsitatione affirmari debeat. Infitari equidem nolim, in vita Mohammedis nonnulla deprehendi indicia, unde quis haud immerito colligere possit, Impostorem hunc ne ex fanaticorum quidem numero penitus esse eximendum. Non dicam, Epilepsia eum laborasse, qua qui sæpius corripiuntur, eorum cerebrum quin tandem lædatur fieri vix aut ne vix quidem potest. Scio Celeb. Ockleyum Anglum huic de Mahomedis fontico morbo narrationi, quippe Christianorum & quidem Græcorum atque Latino- rum tantum Historicorum, licet constanter id tradentium, testimonio nixæ fidem abrogare; Jure*

H ne

* Adjecta quidem est hæc Epistola Cl. GRYNÆI Parti III. Dissertat. mearum de Causis Incredulitatis. Cum vero ejusmodi Dissertationes, præsertim tales, quales meæ esse solent, vix extra patriæ limites proferantur, Epistola vero hæc Cl. Viri lectu dignissima sit, eam huic opellæ inferendam esse putavimus. J. Z.

ne an injuria id faciat, non inquiram sollicitè: dubito tamen; nam si Christianorum, tam Græcorum quam Latinorum, tanquam Mohammedi justo iniquorum testimonium repudiari oportet, non video, cur non & Arabum, tam Mohammedanorum, quippe Sectæ suæ auctori nimium faventium, quam Christianorum sub Imperio Mohammedanorum ne mussitare quidem, neque quicquam, quod ad Impostoris ignominiam pertinisset, proferre sustinentium, silentium itidem nobis suspectum esse debeat?

Verum fin minus comitiali morbo, hypochondriaco saltem obnoxium fuisse Mahomedem tutius forsitan affirmare licet. Ejus certe morbi indicia in Mohammede puero adhuc, nescio quid mirum atque plane incredibile sibi contigisse jam tum narrante, animadverterunt nutrix ejus Halima hujusque maritus, qui teste Abulfeda Scriptore Arabe, (a) vereri se dixerunt, *ne puer iste aut a Satana infestatus fuerit aut contraxerit* *לחץ חזק* *morbum hypochondriacum*, quo qui laborant, eos imaginofum aliquid nonnunquam pati minime mirum est.

Accedit II. amor ille secessus & solitudinis, quem Mohammedi inspirasse Deum excelsum idem Abulfeda (b) testatur, ita ut quotannis per integrum Ille mensem in spelunca montis Hara commoraretur; Quamvis enim hunc solitudinis amorem simulare, seque in hoc secessu suo ad frau-

(a) de vita Mohammed. cap. IV. edit. Gagnierii.

(b) cap. VII.

fraudem, quam jam tum meditabatur, parare quiverit homo callidus, tamen vel ipsa diuturna adeo in spelunca montis commoratio ad vitian-
dam ejus, qui atræ bilis copia laborabat, φαντα-
σίαν haud parum valere potuit.

Imprimis vero, quod III. loco observamus, neminem, qui quidem Alcoranum paullo peni-
tius inspexerit, arbitramur dubitaturum, quin ex
fanatici hominis (c) cerebro prodierit partus ille,
illa verborum magnificentum quiddam sonantium,
sed haud raro sonos mente cassos fundentium at-
que sententiarum ineptarum sæpe, ut plurimum
male cohærentium ac confutarum indigesta mo-
les & vere quod ei objiciebant Meccani, (d)
Ⲁⲗⲗⲁ ⲛⲁⲛⲁⲁ *somniorum confusa congeries.*

At si vel maxime fanaticorum numero pe-
nitus eximi nequit Mohammed, multo tamen
potiori Jure inter versutos atque callidos Imposto-
res referri meretur. An gloriæ cupidus fuerit eo
sensu, quo Veteres Philosophos Ethnicos anima-
lia gloriæ nonnemo Patrum Ecclesiæ appellavit,
& famam sin minus bonam, certe magnam sibi
colligere atque comparare studuerit aut cogitave-
rit, aliquantum addubito & hoc gloriæ nominis-
que ad posteritatem propagandi studium politico-

H 2

rum

(c) vid. e. g. quomodo & quam inepte, ne dicam
impie, Deum jurantem introducat Mohammed Surat,
LXXVII. LXXIX. & C. ab initio iis verbis, in quorum
sensu exponendo, si modo non sine sensu prolata fuere,
nondum consentire potuerunt præstantissimi Interpretes.

(d) Sura XXI. v. 5.

rum potius gentium, Græcorum atque Romanorum, quam ferocium illo adhuc tempore Arabum & ipsius rudis atque illiterati Prophetæ נביא אמת genio convenire iudico.

Sed regnandi, dominandique in populares suos & imperii, quod appetebat & consecutus etiam fuerat, ulterius semper proferendi cupidum, mulierosum præterea ac libidini ultra modum deditum fuisse, & ad explendas pravas istas cupiditates, veluti ad scopum sibi præprimis propositum, cogitationes suas omnes direxisse, atque adeo tam ipsam Legis, quam se a Deo accepisse mentiebatur, indolem, quam vitæ suæ agendique cum iis, quos sibi conciliare studebat, rationem ad eundem finem obtinendum versute accommodasse non vereor affirmare.

Quantum libidini deditus fuerit, inde satis patet, quod duabus, tribus aut quatuor Uxoribus, tot nimirum, quot sectatoribus suis ducere concesserat, ipse minime contentus, multo plures sibi connubio junxerit. *Qui plurimas dicunt, septendecim illi assignant* inquit Abulpharaius (e): Qui paucissimas tredecim. Quindecim Eum duxisse & cum Undecim ex illis rem habuisse tradit Abulfeda. (f) Quod ut sibi licere ostenderet impurus homo, Deum hoc sibi tanquam Viro Sancto scilicet atque Prophetæ singulare præ reliquis fidelibus privilegium, & quot vellet Uxorundarum, atque comprimendarum præterea ancillarum potestatem concedentem introducit Su-
rata

(e) in specimine Historiæ Arabum. pag. 14.

(f) cap. LXVIII. vitæ Mohammed.

rata XXXIII. v. 47. (g) Imo qua est incredibili plane Impudentia, se a Deo & increpari fingit, quod a concubitu ancillæ suæ Mariæ Ægyptiæ abstineret, & jurisjurandi religione solvi, qua interposita Uxori Haphsæ pollicitus fuerat, se Mariam istam in posterum missam facere velle Surata LXVI. v. 1. sqq. Quorum eum esse, quem modo exposuimus, sensum aperte docent Commentatores Arabes Gelaloddin, Jachja, Zamachscharius apud Maraccium. Verum de hoc argumento satis vel plus etiam satis.

Sequitur, ut monstremus, Mulierosum istum hunc Prophetam ambitioni præterea egregie litasse, potiundique in populares suos & ulterius semper proferendi Imperii cupidum fuisse. Legimus apud Abulpharajum, (h) & Abulfedam Cap. LI. eo tempore, cum Mohammed decem militum millibus stipatus ad expugnandam Meccam accederet, unum ex civibus Meccanis Abu Sofjanum Koraischitam viso egregio isthoc atque bene instructo exercitu conversum ad Al Abbasum Mohammedis Pratruium exclamasse לקד מצבוח מלך אבן אחיך מלכא עטימא. *Profeclo Regnum Filii fratris tui in magnum regnum jam evasit: Respondisse vero Al Abbasum ויחר אנהא אלנגות. Væ tibi, Imo vero Prophetia est sive Prophetici Muneris Dignitas.* At revera Prophetiæ sive muneris Prophetici specie imperitis imposuisse Mohammedem

H 3

dem

(g) Ipsa Verba Alcorani heic & in sequentibus allegare superfluum duco, cum ab omnibus in Versione Lat. Maracci legi possint.

(h) in Specim Hist. Arab. pag. 12.

dem, & regnum atque terrenum illud quidem, quod etiam consecutus est, affectasse, dubitari nequit, modo perpendamus, quid & quantum Ille ab omnibus Sectatoribus suis postulaverit, & quid, cum se ab iis *Legatum Dei* רסול אללה agnosci voluit, istis verbis intellexerit. In prima equidem תע'ב sive inauguratione sua, cum nondum satis se opibus atque potentia munitum existimaret, (i) juramento obedientiæ & fidelitatis, quod ei a paucis Ansariis præstabatur contentus, necessitatem belli pro se gerendi iis imponere veritus est. At cum paulo plures deinde affectas nactus esset, in secunda inauguratione ab iis requisivit, (k) ut in hæc verba jurejurarent, *illos se ab omni insultu defensuros, prout Uxores suas & Liberos suos defendere soleant*, id est, vi etiam atque armis, atque eo quidem tempore primum Ei datam fuisse potestatem belli gerendi, & vim illatam vi repellendi, cœlitusque tunc demissum verbum 41. Suratæ XXII. observat Ebn. Isaac. Aucto tandem Sectatorum numero confirmatior paulatim redditus, & de felici imposturæ suæ successu majorem indies spem animo concipiens non defendere modo vim, sed & inferre aliis cœpit, atque ut hoc propositum suum honesta specie vel potius scelus scelere velaret, religionis suæ armis propagandæ i. e. regni sui vi bellica amplificandi, omnesque qui imperium suum detrectarent, aut tamdiu bello persequendi, donec calamitatibus fracti semet sibi subjicerent, aut interneccione delendi, sibi a Deo injunctum præceptum fingere susti-

(i) Abulfeda. cap. XX.

(k) Abulfeda, cap. XXI.

sustinuit : Quod ne plura testimonia congeram
vel ex sola Surata LXVI. v. 9. & VIII. v. 39.
fatis patet. Quæ omnia certe non tam Prophe-
tæ promovendæ gloriæ divinæ hominumque sa-
lutis cupido, quam callido Impostori sub religio-
nis prætextu constabiliendo regno suo, augendæ-
que potentiæ unice intento conveniunt.

Quem scopum ut facilius assequeretur &
quam plurimos omnis generis homines in partes
suas pertraheret, novam Legem suam ita ador-
navit, ut Judæorum atque Christianorum animos
ab ea amplectenda non omnino abalienaret, &
populares suos Arabas universos, cujuscunque
demum essent Religionis etiam Idololatrias magno-
pere alliceret.

Unde Judæorum & Christianorum Religiones
non tamquam falsas rejecit, sed tam Mosen quam
Christum Prophetas divinitus missos fuisse, & il-
lum quidem ut Legis, hunc ut Evangelii Librum
Dei nomine ad homines deferret, venisse (l) pro-
fessus, se tertium prioribus istis aut similem aut
forte præstantiorem & ab iisdem etiam prænun-
tium Prophetam, Prophetarumque signaculum
(m) agnosci, suumque Alcoranum Legi & Evan-
gelio tanquam eorum complementum adjungi &
superaddi postulavit; Quod se facilius a Judæis
& Christianis impetraturum speravit, quam si eos,
damnatis imposturæ quibus innutriti fuerant Reli-

H 4

gio-

(l) Surata. II. v. 137. ut alia plura loca taceam.

(m) Surata. XXXIII v. 39. **חַתָּם אֶלְנַבִּיין** quam
appellationem a Judæis didicit, qui Malachiam Prophe-
tarum V. T. ultimum **חַתָּם הַנְּבִיאִים** vocare solent.

gionibus, a Mose & Christo simpliciter deficere juberet.

Inprimis vero ut populares suos Arabas omnes ad recipiendam amplectendamque novam Legem suam magis alliceret, Legis istius Indolem ad eorum ingenium, mores, præjudicia, cupiditates denique, quantum potuit accommodavit.

Inde I. orta atque enata est, mira illa atque perversa Religionem armis propagandi, atque adhibita vi bellica omnibus obtrudendi, in Alcorano pluribus in locis tradita Methodus, (n) quæ Arabibus feroci atque bellicosæ genti & ex raptò vivere assuetæ non poterat non magnopere arridere, siquidem potestatem sibi ita fieri cernebant, vicinos omnes, quotiescunque id luberet, invadendi, bello persequendi, repugnantes seque ac sua defendentes cædendi, facultates eorum diripiendi, bona occupandi, eos denique subigendi atque imperio suo subjiciendi; Qua licentia religiosa dicam an irreligiosa, quam alacriter & quanto rei Christianæ præsertim detrimento hæcenus usi fuerint Moslemi, omnes norunt.

II. Cum alios ex se æstimaret Mohammed, & quam libidini dediti essent populares sui non ignoraret, divortiorum atque repudiorum licentiam ex Lege Mosis revocandam atque amplificandam (o) & mitigata Legis Christianæ severitate
Poly-

(n) Surat. IV. 88. VIII. 39. IX. 30. XLVIII. 16. & alibi.

(o) vide Surat. II. v. 228. 231. 237. 238. & Suratam IV. אֲדָנָא Mulierum dictam.

Polygamiam iterum permittendam censuit, ita ut cuilibet fideli Moslemo quatuor Uxores legitimas sibi connubio jungere jus fasque sit per Suratæ IV. v. 3. Qua felicitate ut solida perpetuaque fruerentur, futuræ quoque post hanc vitæ in omnibus carnis voluptatibus & formosissimarum præcipue virginum jugi complexu tanfigenda spem illis fecit. (p) Quæ non figurata oratione ita dicta, ut vellent Mohammedanorum nonnulli quos Paradisi hujus pudet, sed ad Literam ab ipso Mohammede intellecta fuisse, adeoque intelligenda esse, ostendunt præstantissimi Alcorani Interpretes (q) & liber Sonnæ. (r) Et cur Propheta futuræ vitæ felicitatem non in iis rebus collocaret, quibus se in hac vita Deo volente tantopere delectari ipse profiteretur apud Abulfedam his verbis, *אללה געל לדתי פי אלנסא ואלטיג* (s) *Deus posuit delectationem meam in fœminis, & suavis odoribus.*

H 5

III. Ab

(p) vid. ex plurib. locis pauca hæc Surat. II. 25. Surat. XXXVII. 40. & seqq. Surat. XXXVIII. 52. &c.

(q) Gelaloddin, & Jachja apud Maraccium, qui ea verba tanquam proprie dicta interpretantur.

(r) Si fides adhibenda iis, quæ apud Maraccium ex Guadagnolo allegantur velut ex ipsius Mohammedis ore hausta & Sonnæ inferta.

(s) Hæc equidem Verba uti a Maraccio allegantur apud Abulfedam in cap. LXVI. de Indole Mohammedis reperire non potui, at in notis Cl. Gagnierii similia plane ex Libro Aluchafa citantur.

III. Ab omnibus equidem Sectatoribus suis postulavit Mohammed, ut unum esse Deum (t) profiterentur. An populares suos, quorum aliquos ad Judaismum, alios ad Christianismum antea jam inclinasse aut conversos fuisse, discimus ex Scharestanio apud Pocockium, (u) Idololatriæ suæ jam pertæsos aliquantum, haud ita difficulter ad unius Dei agnitionem perducì posse conjecerit aut præviderit, definire non ausim. Alias certe multos eum ritus & cœremonias superstitiosas, quibus Arabes Idololatræ in statu ignorantia אלגאהלית affueverant, ut ipsis placeret retinuisse & in suam Religionem etiam transtulisse constat, & fatentur Mohammedani; Ita Abulfe-da: *Solebant olim Arabes quædam facere, quæ postea præcepit Lex Islamica &c.* apud Pocokium. (x) Ita præceptum אלחג sive *Peregrinationis ad Templum Meccanum instituendæ*, quod unum ex quinque fidei Islamiticæ fundamentis est, ideo a Mohammede datum fuisse patet, ut Idololatriis gratificaretur, qui ædem illam Sacram אלכעבת Alcaaba dictam summa veneratione prosequabantur, eamque religiose invisere & in ejus aditu & circuitu omnes illos ritus, quos Mohammed deinde adoptavit, jam dudum superstitiose observare soliti erant.

Idem

(t) nota est omnibus brevissima fidei Mohammedicæ formula אללה ומحمد رسولہ Non est Deus, nisi Deus, & Mohammed Legatus ejus est.

(u) in notis ad Specimen Histor. Arab. pag. 136. 137.

(x) ibid. pag. 321. ubi plurima ejus rei exempla referentur.

Idem in præcipienda circumcissione (y) variis orantium gestibus & sollicita illa mundandi corporis ratione aliisque spectasse Mahomedem, ex ipsis Sectatorum ejus Libris & Confessione monstratum dedit Cl. Pocockius in specimine Historiæ Arabum.

Commemorari paucis adhuc meretur mira ejusdem & Propheta indigna in assignanda אלקבלת (z) inconstantia, sive potius versipellis hominis & in varias se formas, prout id rebus suis conducere existimabat, vertentis astutia: Cum enim primo *Keblam* nullam certam constituisset, sed *quocumque* inter orandum *quis se converteret, ibi esse faciem Dei*, quippe immensi recte definivisset, deinde יהודי אלפא ליהודי *conformando se Judæis* (a), quos allicere cupiebat, præcepit ut orantes בית אלמקדום *Templum Hierosolymitanum* respicerent, quod institutum per 18 menses observatum fuit. Verum cum ea re magnopere offendi Arabas cerne- ret, ne eos a se alienaret, mutata sententia ad ædem Meccanam Alcaabæ orantium faciem in posterum converti debere statuit, & ut hujus mutationis rationem redderet, ædem istam, quippe ab Abrahamo ædificatam, Hierosolymitana anti- quio-

(y) apud Arabes antea jam æque ac Judæos usitata, quibus posterioribus n. etiam observando Jejunium ישראעל decimæ diei mensis Moharram placere studuit.

(z) i. e. cæli plaga aut tractu, quorsum inter orandum faciem suam converterent, qua in re valde superstitiosi sunt Orientales.

(a) ut inquit Gelaloddin Interpres Alcorani.

quiorem atque adeo excellentiorem esse credi voluit. (b)

Ab eodem inconstantiae Mohammedis aut astutiae ejus fonte, non a Dei O. M. mutabilitate derivandum est, quod in Alcorano tot praecipua sive versus caelitus scilicet demissi paulo post, mutato nimirum rerum statu aut Prophetæ sententia, per alios a Deo itidem demissos abrogati (c) leguntur. An vero etiam tunc, (d) cum tres, quæ ab Arabibus colebantur, Deas, Allatam, Alozam et Manatam *speciosas esse excelsasque puellas, quarum intercessio speranda sit*, dixerat, gratiam inire apud Idololatrias voluerit, an vero officianti in recitanda illa Surata & quid loqueretur, non cogitanti ea verba exciderint, nescio. At certe hunc errorem suum ea ratione correxit, quæ et in Deum verosque ejus Prophetas valde injuria, & omnem simul Mohammedis dictatis fidem abrogare apta nata est. A Satana quippe sibi illa Verba inspirata fuisse profiteatur Impostor, neque id mirum esse, siquidem omnibus Prophetis id usu venerit, ut cum legerent, aut recitarent Verba Dei, Satanus in ea Lectione errorem aliquem iis injecerit. (e) Quæ si vera sunt, quis defi-

(b) videatur Abulfeda pag. 54. & in eum locum notæ Gagnierii.

(c) ducenti nimirum ac viginti quinque, si Abul Chafemo fidem adscribamus, qui eorum Catalogum contexit.

(d) vid. Surat. LIII. v. 19. 20.

(e) vid. Surata XXII. v. 53. & ad eum versum Commentatores Arabes apud Maraccium.

definiet, an non alias etiam in recitandis Suratis nonnulla a Satana inspirata dictis suis intersperferit Mohammed? aut quis ostendet, quomodo ea a θεοπνεύματος distingui queant?

Sed et idem astutus homo, cum se certis atque minime ambiguis veri Prophetæ notis miraculorum n. perpetratorum facultate ac Prophe-
tiae sive futurorum prædicendorum dono destitui non ignoraret, ne defectus iste suæ auctoritati quicquam detraheret, non ad patranda miracula, *verum ad prædicandum* se missum a Deo fuisse, auditoribus suis (f) prudenter inculcavit. Non ignoro Mahomedanos Prophetæ suo, ne Mosi aut Christo inferior hac in re videatur, etiam tribuere miracula. Qui modestiores sunt, teste Abulfarajo (g) ejusmodi miracula *non veluti frequenter facta prodi, sed ut semel patrata recenseri, neque multorum testimonio confirmari* agnoscunt. Alii plura enumerant. Nonnulli aliquot Millium decadas: Rectissime omnium, qui 60 Millia recenset, nempe totidem quot sint in Alcorano elegantissime scripto versus sive نخ ; (h) Hoc enim solum miraculum, modo in scribendo Alcorano non alios se peritiores adjuutores habuit, a Mohammede profectum fuisse puto, ad quod unum etiam ipse
toties

(f) Surata XXIX. v. 50. & Surata XI. v. 13.

(g) in Pocok Specim. Histor. Arab. pag. 17. & 190. & 191.

(h) quæ vox apud Arabas ambigua est, & tam miraculum, signum, quam versum denotat, in qua ambiguitate ipsumet lusisse Mohammedem constat.

toties fidenter provocat (i) & modo populares suos, modo dæmonas omnes Alcorano aut uni ejus Suratæ simile quid ac secundum (k) excogitare atque scripto consignare jubet.

Ad alia, qualia Mosen atque Christum perpetrasse legimus, indubitata ac luce palam inspeçantibus multis edita a se miracula tantum abest, ut in Alcorano provocare sustinuerit Mohammed, ut potius, quoties aut Judæi aut Arabes ejusmodi signa velut divinæ, quam mentiebatur, Legationis certissima *νεπίσημα* requirerent, toties se patrandorum signorum facultate a Deo haud instructum esse non obscure confessus fuerit. (l) Nam, quod Mohammedani dicunt, in ipso Alcorano indicia quædam (m) editorum a Propheta suo miraculorum deprehendi, nullius plane momenti est: Cur enim obscure potius ad hæc opera sua mirabilia alludere, quam ad verorum Prophetarum instar aperte ad ea provocare voluisset Mohammed? Cur, qui in prædicando Alcorano suo modum non tenebat, ejusque Libri Excellentiam solum ad fidem sibi faciendam sufficere clamabat, non alia quoque, si quæ talia edidisset, mirabilia

(i) Surat. II. v. 23. & alib. plurib. locis.

(k) Quod tamen se facile præstare posse adversarii ejus profitebantur vid. Surat. VIII. v. 30.

(l) vid. præter alia multa loca Surat. XI. v. 13. IV. v. 152. VI. v. 7. 8. 34. 36. 109. VII. 202.

(m) Ad singula loca respondet prolixè Maraccius in Prodomo ad Refut. Alcoran. qui licet bonam causam non optime semper agat, tamen quæ ab eo dicuntur, evertendo mendacio sufficere possunt.

lia opera sua summis laudibus extulisset, eorumque frequenti commemoratione omnium aures contudisset? Admirabilis Ille quidem fateor nocturni sui in cœlum itineris (n) disertis verbis mentionem facit Surata XVII. v. 1. **أَلَّا** Verum ejus Historiæ veritas unius narrantis Mohammedis testimonio nititur, neque enim testes allegat, qui in Cœlum ascendentem viderint.

Quod de miraculis, idem de Prophetiæ dono affirmare licet, Mohammedem id sibi in Alcorano nullibi arrogasse aut vindicasse, imo de rebus arcanis aut futuris interrogatum a Sociis, earum notitiam sibi minime concessam, seque et *quid de se & quid de illis futurum esset*, ignorare professum fuisse. (o) Quæ de proprio ac celeri rei Moslemicæ incremento Prophetam suum in Alcorano vaticinatum fuisse contendunt quidam Mohammedanorum, ejusmodi sunt, ut ea non tam Spiritus quo se agi sentiret Prophetici, quam vero ejus, quod jam tum animo conceperat, imo quod prospere hactenus successerat, Religionis suæ armis ac vi bellica propagandæ & per orbem circumferendæ Propositi fiducia prædixisse videatur.

(n) Legat, qui volet, ejus historiam apud Gagnier *vie de Mahomet* Livre II. chap. I. & suiv. & id vere contigisse credat, si potest. Idem dico de Miraculo Lunæ scissæ, vid. de eo Gagnier Liv. I. cap. 19. ad quod in Surata LIV. alludi volunt Mohammedani nonnulli, aliis tn. id negantibus, ut videre est in Beidavio & Zamachschario Interpretibus Alcorani.

(o) vid. Surat. XLVI. v. 9. & satis prolixa in eum versum glossa Zamachscharii apud Maraccium in *Prodromo*.

tur. Una superest rei futuræ prædictio , (p) in qua serio triumphant Zamachscharius & Giannabius , atque ea sola veritatem Prophetiæ Mohammedis evidenter comprobari jactant : Sed eorum jactantiam satis retudit Maraccius in Prodro- mo , & notis ad hunc locum ; Quem cur parum solidis ac firmis argumentis egisse dicat Cl. Gagnierius , (q) non intelligo. Quid enim , si incertum est , quando recitata fuerit hæc Surata , si nondum consentire potuerunt Interpretes Alcorani , de qua Romanorum cum Persis pugna , quo loco , quo tempore commissa , hic agatur , si , teste ipso Zamachschario , ob varietatem lectionis non satis constat , an Romanorum , an vero Persarum præsens clades , futura victoria hic indicetur aut prænuntietur , quomodo probabunt Mohammedani , intra decimum ab incerto termino annum , post nescio quam , & ubi commissam pugnam & Romanorum an Persarum cladem , per nescio quam , incertum an Romanorum an Persarum , victoriam Prophetiam istam impletam fuisse ? et si vel maxime constaret , de qua pugna Persarum cum Romanis & horum clade hic agatur , quo haud suspecto fide dignorum hominum testimonio comprobabitur , intra decimum ab ea clade annum Romanos vicissim insignem aliquam in Per-
sas

(p) Surat. XXX. v. 1. & seqq. ubi hæc leguntur Verba : Victi sunt Romani (a Persis scil.) in vicina terra , & ipsi postquam victi sunt , vincent (vicissim Persas) intra aliquot annos. Vox ۷۳۱ quæ hic adhibetur , breve sed incertum temporis spatium , trium nimirum ad novem aut decem usque annorum intervallum denotat.

(q) Vie de Mahomet Liv. I. cap. XII.

fas victoriam reportasse ? Denique non video, quomodo hæc Prophetia in prælio Bedrensi, quod Gelaloddino cum aliis nonnullis, aut in pugna Hadibiæ, quod Zamachschario placuit, impleta fuerit, cum tn. in ambobus istis præliis non Romani cum Persis, sed Mohammed & Sectatores ejus cum hostibus suis Arabibus Idololatriæ conflixerint. Sed plura non addo. Ex istis, quæ dixi, satis liquere arbitror, Mohammedem non veri nominis Prophetam, sed et fanaticum forsan hominem fuisse, multo tn. potiori jure versutum et ambitioni ac voluptati deditum Impostorem dici posse.

Pergo ad alteram, quam mihi proponis, Quæstionem : *An non ex ipso Alcorano manifestum sit, Mohammedem, more Incredulis recepto, dogmata creditu dignissima rejecisse; contra vero sententiis subscripsisse, quæ cum veritate & evidentia dogmatum Religionis Christianæ, quæ aspernatus est, nullaratione conferri possint?*

De ea quid censeam, paucis exponam & I. quidem non diffitebor, Mohammedem præterquam quod Christum a Judæis crucifixum fuisse infitatus est, vix alia Christianæ Religionis dogmata disertis verbis rejecisse, quam in quibus aliquid difficultatis inesse ne ipsi quidem Christiani negant, dogma nimirum de S. S. Trinitate, æterna Generatione, & Incarnatione Filii Dei.

II. Observo Mohammedem Christianorum de istis dogmatis mentem, aut qua erat imperitia

& crassa Evangelii ignorantia, nunquam intellexisse atque animo comprehendere potuisse, aut, qua erat improbitate, scientem volentemque alienam ipsis ab eorum mente et plane absurdam sententiam tribuisse, ut haberet, quod impugnet. Quis enim unquam Christianorum statuit, *Deum esse tertium trium*, i. e. præter Deum duos adhuc alios esse, adeoque *tres* Deos, aut quis Deum cum Deipara Virgine Maria veluti Uxore sua, & utriusque filio Christo tres esse Deos istos & Christianorum Trinitatem constituere affirmavit? Atqui hanc sententiam Christianis affingit, et deinde rejicit in Alcorano Impostor Surat. IV. v. 169. V. v. 82. & 125.

III. Christianorum de S. S. Trinitate, Generatione & Incarnatione Filii Dei dogma, si quidem recte et ex eorum mente exponatur, merito creditu dignissimum appellari a Te censeo, cum in Scripturis θεογενεσίαις & mentiri nesciis disertis verbis revelatum legatur, & sanæ Rationi atque evidentibus ejus dictatis neutiquam repugnet, licet cujusmodi sit illa trium, quas vocamus, Personarum in una atque infinita Divina natura sive essentia distinctio, quomodo Filius ex Patre emanaverit, aut ab æterno genitus fuerit, & qua ratione divina natura humanam in unitatem personæ assumerit, præcise definire nequeamus.

At si IV. in hoc Christianorum dogmate aliquid superest mysterii, quod non penitus capimus, neque unquam forsân, nisi cum infinitam
 Dei

Dei naturam finita nostra et arctis limitibus inclusa mente integram comprehenderimus, plane percipimus : in Mohammedis contra Alcorano plurima deprehendi non mysteria, sed aperte cum primis Religionis Naturalis principiis & sana morum doctrina pugnantia scita, ne plura colligam, vel ex iis quæ ad priorem quæstionem respondi, satis liquere arbitror ; Quid enim ? Christianorum de S. S. Trinitate dogma concoquere non potuit Impostor, at Deum sanctissimum impia multa atque impura præcipientem laudantemve introducere sustinuit ? Vim conscientis inferendam, veram Religionem armis propagandam & invitis obtrudendam, in ea lege, quæ Evangelii veluti complementum atque perfectio esset ; Divortiorum Licentiam et Polygamiam iterum in usum revocandam ; Paradisum deliciarum & voluptatum carnis fidelibus veluti pietatis præmium proponendum ; denique post rationalem & spiritualem cultum in Evangelio institutum atque præscriptum, externum et multis corporis exercitationibus parum proficuis operosum denuo restituendum, atque sollicitas illas carnis ablutiones, corporisque mundationes, varios orantium gestus, et incurvationes, superstiosam tandem & ab Idololatriis mutuo acceptam ædis Meccanæ visitationem et ridiculam in circuitu ejus ædis properationem, cursum, lapillorumque jactum & similes nugas ad essentiam Religionis pertinere ejusque (r) fundamen-

I 2

tum

(r) De quinque fundamentis fidei Islamicæ videatur Abulpharagius, & ad eum notæ Pocockii in

tum constituere , hæc , inquam , et alia multa non minus , si non magis absurda credere potuit.

Ita Celeberrimus GRYNÆUS.

specimine Historiæ Arabum , pag. 29. 30. 300. et sequentes.

